

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Hæc & alia portenta invehere conantur in Ecclesiam DEI, ita ut totum genus doctrinæ immuratum optent. Et meritò Calvinus de Blandrata scribit, quod carinam suarum ad Consistorium Genevense attulit quæstionum. 1562.

XX.

Salutem in Christo, Reverende & Clarissime Domine Doctor, amice observande. Sicut grata mihi fuit illa prima humanitas, qua me Wormatiæ familiariter complexus es, ita ut me ad colloquium de rebus arduis non gravatim admitteres: Ita gratissimè mihi accidit, quod ex literis tuis jam ante biennium ad me scriptis intellexi, te in ita nostræ amicitia memoriam aliqua cum benevolentia conservare. Et ex illo tempore semper cogitavi, quomodo meam tibi amicitiam, si non alio, tamen qualicumque literarum officio, rursus declararem. Cum igitur hic adolescens studiorum gratia ad vos profecturus esset, nolui hanc occasionem negligere, sed literis meis ostendere, me amicitiam nostram, qua possum, cum benevolentia retinere & colere, nec defuturum mihi esset studium, si aliquo officio meam tibi benevolentiam testatam possem facere. Libellum meum de cœna Domini retexui & quia certamina illa subinde ingravescunt, suadentibus multis editioni illum permisi. Mitto tibi exemplar & velim à te legi, ut à censore. Agnosces consensum illius doctrinæ, quæ vivente Luthero in Ecclesiis Augustinæ Confessioni adjunctis de cœna Domini sonuit. Exemplaria pro majori parte hic in Saxonia distrahuntur & retinentur; cum ex mercatu Francofurtensi nulla exemplaria ad vos perferuntur, & si judicaveris, posse prodesse Ecclesiis superioris Germaniæ, poteris vestro typographo tradere recudendum. Sed hæc omnia permitto tuo iudicio.

Bremensem Ecclesiam misere turbavit Cinglianus quidam, Hardenbergius, & imminebat inde periculum aliis etiam Ecclesiis in vicina Saxonia. Ordines igitur inferioris Saxonie in conventu, quem apud nos Brunsvigæ in proximo mense Februario celebrarunt, publico decreto turbatorem istum removerunt & interdixerunt illi tota Saxonia inferiori. Exemplar decreti ab adolescente, qui has tibi litteras exhibet, petere potes. Et si studiis ipsius prodesse poteris, facias sic, si ingenium & mores ipsius ita perspexeris, ut dignus sit. Oro autem, ut data occasione aliquando ad nos scribas, nec amicitiam nostram intermori sinas. Bene & feliciter vale. Brunsvigæ, 8. Martii Anno 61.

F.

Martinus Kemnitz, Minister

Ecclesiæ Brunsvigenfis.

R.

Mein